

consignarunt. Hi enim κατ' ἑξοχὴν tolebant εὐαγγέλια nominari. Clemens Alexandrinus disertam numeri quaternarii mentionem facit. Dum enim locum aliquem, ex Euangelio secundum Aegyptios, excitat, statim haec ab illo subiiciuntur uerba L. III. Strom. p. 465. πρῶτον μὲν οὖν, τοῖς παραδεδομένοις ἡμῖν τέταρσιν εὐαγγελίοις οὐκ ἔχομεν τὸ ῥητὸν. Eusebius L. III. c. XXV. τὴν ἀγίαν τῶν εὐαγγελίων τετρακτῶν nominat. Cumque Tatianus ex his quatuor unum conflasset εὐαγγέλιον, appellatum illud est διὰ τεσσάρων, teste eodem L. IV. c. XXIX. Equidem Apostolorum appellatio in Marcum, et Lucam non competit, qui uiri modo Apostolici fuere. Quod nomen in Lucam confert Tertullianus adu. Marc. L. IV. 2. Ast sumit haud dubie Iustinus nomen Apostoli in sensu paululum laxiori. Qua ratione ab Athanasio, si modo auctor est, in Synops. Scr. S. uterque Marcus iuxta ac Lucas, ἅγιος Ἀπόστολος nominatur. Aut, quod magis mihi placet, Iustinus ex uetustiorum loquitur sententia, qui, Marcum ex Petri, Lucam autem ex Paulli sermonibus, Euangelia sua confecisse, arbitrabantur. Inde Tertulliano l. c. Constituimus, inquit, imprimis, Euangelicum instrumentum Apostolos autores habere. Si et Apostolicos non tamen solos, sed cum Apostolis, et post Apostolos. Quid? quod non dubitarent Marci Euangelium Petro, Lucae Paulo tribuere. Testem iterum habeo Tertullianum, qui l. c. c. V. Eadem autoritas Ecclesiarum Apostolicarum, ceteris quoque patrociniabitur Euangelis, quae proinde per illas, et secundum illas habemus; Ioannis dico, et Matthaei: licet et Marcus quod edidit, Petri adfirmetur, cuius interpretes Marcus. Nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent. Quidquid interim eius rei sit, tum quidem ex Iustini loco adstrui inscriptionum antiquitas posset, si modo ille affirmaret, Apostolos huius appellationis esse auctores. At de eo altum silentium. Non enim dicit, ἃ ἐκάλουν sed, ἃ καλεῖται. Ergo ex hoc loco tantum conficitur, quod tum, cum Iustinus scriberet, hoc nominis usitatum fuerit. Pridem hoc obseruauit Alexander Morus, in Not. ad N. T. quarum iteratam editionem celeberrimo Fabricio debemus.